

in hoc non versatur intencio, ut Romane ecclesie et sanctitati vestre in aliquo derogemus, sed potius ut exaltacioni ipsius et reverencie persone vestre intentis studiis et sincero animo intendamus. Cum eciam expediat providere omnia impedimenta, que negocium reconciliacionis nostre differre possent aut nocumenta afferre, ac in quantum est possibile ipsa salubriter removere, sanctitati vestre devotis et humilibus precibus suplicamus, quatenus . . principes electores imperii, quorum aliqui, prout intelleximus, extra gratiam sanctitatis vestre sunt positi, non sequendo iuris rigorem, qui sepius secundum condiciones personarum et temporum solet obmitti, benigne et cum mansuetudine sanctitatis vestre et gracia una nobiscum, salva semper debita reverencia sedis apostolice et sanctitatis vestre, in sinum et gremium sedis apostolice favorabiliter colligatis. Nam si se reconciliari senserint, ipsos non dubitamus fervencioribus animis negocio nostre reconciliacionis inherere et diligentem ac sollicitam ad hoc opem et operam adhibere, ipsosque certissime reperietis vestris beneplacitis perpetuo propiciores. Insuper, pater sancte, cum omnis dilacio reconciliacionis nostre et predictorum principum electorum sit nimis dampnosa et in futurum afferre possit christiano populo pericula infinita, videretur nobis permaxime expedire, ad quod eciam sanctitatis vestre clementiam intentis nostris supplicacionibus exhortamur et pro munere petimus speciali, quod prefato magistro Arnolde capellano vestro aliquam potestatem committat vestra sanctitas et concedat, per quam et qua mediante predicta negocia ordinentur et disponantur aut saltem tractentur et vestre sanctitati referantur, ut sic ad finem laudabilem Deo propicuum^a et sue christianitati ac fidei catholice proficuum et utilem obmissis quibuscumque circuitibus celarius perducantur. Nos enim sepius memoratum Arnoldum propter sue legalitatis et circumspeccionis industriam et principaliter propter fidelitatem et affectionem, quam ad predicta reconciliacionis nostre negocia habere dinoscitur, sufficientem et ydoneum reputamus, maxime cum sanctitas vestra, prout intelleximus, mediocres personas in dicto negocio maioribus utiliores reputet, per quas et nos credimus ad expeditionis terminum citius pervenire. Et si divina largiente gracia dictus Arnoldus plene informatus de omnibus et cum boni tractatus concordia ad vestram sanctita-

a) So Or.